

2333
2333

/ Ill/me ac R/me Domine patrone Colend/mo

Quod à multis annis nullas ad Ill/mam V. Gratiam litteras dede-
rim, non id accidit ex negligentia vel oblivione Ipsius erga me be-
neficiorum, quorum singulis poene momentis recordor, sed ex defectu
5 materiae, quae satis seria non occurrit, ut Ill/mam V. Gratiam, quam
scio inutilibus litterarum colloquiis minime delectari, judicaverim
interpellandam. Diutius autem silere non patitur casus qui circa
personam et statum vitae meae nuper mihi accidit. Placuit enim Ser-
/mis nostris Belgii principibus me, quem nec ambientem nec expectan-
10 tem jam à tribus annis ad Decanatum Ecclesiae Cathed/lis Brugensis
promoverant, vacatura per translationem moderni Episcopi ejusdem
Ecclesiae Sede, ad illum Dignitatis gradum nominare, hujusque gre-
gis numerosi satis curam humeris meis etsi imparibus imponere. Quo
ego nuncio accepto, sortem hanc in me cecidisse non parum dolui,
15 hinc videlicet imbecillitatem meam, illinc vero gravitatem oneris
considerans, non ignarus quantum sub hac specie honoris lateat peri-
culosissimae sollicitudinis, quantum molestiarum. Itaque voluntati
dictorum principum nequaquam obtemperassem, nisi tum ex methodo et
circumspectione qua fidem sancti principes in hisce nominationibus
20 uti consueverunt, tum ex totius hujus cleri et populi non vulgari
eaque minime affectatione congratulatione aliisque pluribus argu-
mentis non obscure collegissem et quasi pro explorato habuissem, hanc
electionem ex Illius vocantis numine et voluntate accidisse, qui su-
suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem.

25 Id porro Ill/mae V. Gratiae significandum duxi, ut Illius pieta-
ti me meamque hanc plane arduam et periculosam functionem commenda-
tam esse serio et humiliter rogarem, ut aliqua suorum sacrificio-
rum et orationum memoria, necessitatem et inopiam prudentiae meae
Deo commendare velit. Non omittam utique Ill/mae V. Gratiae monitis
30 Nepoti suo saluberrime nuper publica voce datis quasi mihi etiam d-
dictitatis sollicite me componere, omnesque ejusdem Ill/mae V. Grati-

/ae actiones, quas dum Archiepiscopum Capuanum ageret, sedulo observavi, pro tenuitate mea vel saltem a longe et per umbram imitari.

Caeterum cum ego ex paupere et ex inopinato huc protractus sum, nec thesaurizare unquam mihi cordi fuerit, atque etiam fructibus
5 messis currentis anni carere debeam, Ill/mam V.Gratiam suppliciter rogo, ut apud Suam Sanctitatem pro Annatae et Jurium expeditionis remissione, ubi eo perventum fuerit, se mihi Patronum non deneget. Reddet Deus O.M. abunde mercedem pietati Ill/mae V.Gratiae, cui etiam ut multos annos et valetudinem publicae Ecclesiae utilitati per-
10 ennem Ipse largiatur, ac deinde salutare Illi suum ostendat, toto animi adfectu assidue precabor. Brugis 20 Decembris 1620.

Ill/mae et R/mae V.Gratiae

Humill/mus et obligatiss/mus servus

15 Ill/mo et R/mo D.Card/li Bellarmino. Dionysius Christophori, BA S.T.
Stoffels